

enim conceptus est vniuocus, etiam si actu non comparatur ad inferiora per nouum reflexa. Vel est sermo de coparatione aptitudinali ex parte ipsius conceptus obiectiui entis non includentis actu inferiora, & sic falsum est non comparari, seu non esse comparabilem ad illa, quandoquidem est predicabile de illis, ut per se constat, nam cum dicimus creaturam, aut substantiam, vel accidens esse ens, non predicamus ens, prout includit actu inferiora, sed solum secundum confusam rationem entis: necesse est ergo ut secundum illum conceptum vel vniuocum sit, vel analogum.

Alter ergo respondendi potest, Aristotelem in Dialectica non quod distinxit analogia ab vniuocis, vel æquiuocis, ideoque; cum analogia media sint inter illa duo extrema, ad illud reuocari cum quo magis conueniunt. Vnde Aristoteles dicto c. Antepred. analogum quod pluribus conceptibus significat inferiora, ut est alid dictum de picto & uiuo, sub æquiuocis constituit. Sic igitur dici potest, iuxta illas definitiones ens potius reuocari ad vniuoca quam ad æquiuoca, atque adeo in ordine ad vsum dialecticum dici posse vniuocum, quia & potest esse medium demonstrationis, & simpliciter ac sine addito dicitur de ente creato, & increato, & secudum quod nomen & conceptus eorum est. Metaphysice vero esse analogum, quia non æquali habitudine & ordine est in inferioribus, ut declaratum est.

Quod si dicas, iuxta hanc resolutionem, ens eque vniuocum esse ac quodlibet genus, nam genus, licet logicè vniuocum sit, Physicè seu Metaphysicè dici potest analogum, quia in eo latet inæqualitas, sed quia ad inferiora descendit cum quadam eorum inæqualitate, ut sumitur ex Aristotele 7. Physic. text. 31. & 10. Metaph. text. 26. & clarius ex D. Thoma in 1. dist. 19. q. 5. art. 2. ad 1. Respondetur non esse similem rationem, nam sub genere est sola inæqualitas perfectionis inter ipsas species, proueniens tamen ex differentiis earum, non vero est inæqualitas ordinis proueniens ex ipsa eorum ratione generica, quæ ex se postulat prius & absolute esse in vna specie, & deinde in aliis per habitudinem ad primam, quæ potest dici inæqualitas essentialis dependentiæ, quæ reperitur in entis communitate. Et ideo, quantum Physicè & secundum esse quod species generis habent in re dicitur genus quoddammodo analogum, vel æquiuocum, non tamen Metaphysicè secundum conceptum obiectiuum & communem. Ens autem est analogum etiam Metaphysicè secundum commune obiectiuum conceptum, quantum secundum illas dialecticas definitiones videtur sub vniuocis comprehendit. Est ergo hæc responsio probabilis, nimium tamen fauet vniuocationi entis.

Tertia ergo responsio sit, negando rationem entis esse omnino eandem in ente finito & infinito, nam hoc est ens, quia ex se est, illud vero est ens, quia est ab alio. Quod si dicas, huius verbis non explicari rationem accommodatam enti ut si, sed proprias rationes talis, & talis entis. Rãdatur in primis rationem entis esse transcendentem, & intumè includit in omnibus propriis ac determinatis rationibus entium, & in ipsis modis dicitur inãtibus ipsis ens, ideoque; licet ratio eorum ut abstracta sit in se vna, tamen rationes constituentes singula entia esse diuersas, & per illas ut sic constitui vniuocum quod est absolute in esse entis. Deinde (quod ad rem ma-

ximè spectat) ipsamet ratio communis ex se postulat talem determinationem cum ordine & habitudine ad vnum, & ideo, licet secundum consensum rationem sit eadem, sicut est vna, nihilominus non est omnino eadem, quia non est ex se omnino vniuocis, quam vniuocitatem & identitatem requirunt vniuoca in ratione sua, & ita debet definitio vniuocorum exponi.

Ad secundam rationem respondetur, illo argumento rectè probari, ens non esse ex his analogis quæ per metaphoram vel translationem dicuntur, non verò inde fieri, nullo modo esse analogum. Nam illa conditio nominis analogi, scilicet, quod non sit eorum multis ex vi vniuocis impositionis, non est de ratione omnium analogorum, sed illorum tantum quæ per metaphoram seu translationem dicuntur. Vnde attentè considerandum est, illam analogiam translationem seu metaphoricam, quantum aliquid habeat in rebus fundamentum, non tamè omnino ex illi oriri, sed ex impositione & vsum hominum. At verò hæc analogia entis omnino fundatur, & oritur ex rebus ipsis, quæ ita sunt subordinatæ, ut necessitatim ad vnum referantur quatenus entia sunt, ideoque, non potuit nomen entis imponi ad significandum confuse id quod habet esse, quin consequenter haberet significare multa cum habitudine ad vnum, atque ita fuerit analogum, non per translationem, sed per veram & propriam significationem. Atque hinc etiam expedita relinquatur tertia probatio, in eadem diminutè numeratur analogia attributionis. Nam præter ea quæ per extrinsecam denominationem dicuntur de secundariis significatis, sunt alia quæ intrinsecè & propriè dicuntur de omnibus, significatis, quæ proprias habent leges & conditiones diuersas ab aliis analogis, ut satis declaratum est.

XXII. Secundi argumenti solutio.

XX. Alia responsio ad argumentum.

Expenditur prædicta responsio.

XXI. Tertia & vera responsio.

DISPUTATIO XXIX.

De Deo primo ente & substantia increata, quatenus ipsum esse ratione naturali cognosci potest.

Solent Metaphysicæ doctrinæ tractatores hanc disputationem de Deo in postremum ferè locum reuocare, imitantes Aristotelem qui lib. 12. suæ Metaphysicæ illam attingit, ubi simul & ferè indistinctè de Deo, & ceteris intelligentiis disputat. Quæ in hoc est ceteris secuti sunt. Et tamen huius videtur, quia licet Deus ex se sit maximè cognoscibilis, in quod nos minus notus est, quam materiales effectus patet a nobis cognoscitur. Quæ tamen ceteris etiam intelligentiis, seruata propositione, communis erit. Nos verò, quoniam in his disputationibus intendimus ordinè doctrinæ seruari, quoad fieri potest, prius de increato ente, quam de ceteris in particulari disputamus, quia illud est primum ac præcipuum huius sciendi obiectum, & ex se omnium dignissimum, eiusque cognitio magnam lucem afferret, ut cetera entia non solum a posteriori, verum etiam pro captu nostro, & a priori cognoscere possumus. Et quævis Deum non in se, sed ex effectibus cognoscimus ratione naturali, prout nunc loquimur, nihilominus ad instituentiam hanc disputationem de Deo,

I. Quomodo hæc disputatio in hac se de collocet.

II. Insuper.